

torum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino elargitur. Parochos insuper per idem tempus semel tantum in anno Exercitiis hujusmodi vacantes a residentia benigne absolvit; Quod ipsum servari præcipit quoad Canonicos, Beneficiatos, aliosque personali residentia obstrictos, et Chori servitio mancipatos, quos nihilominus lucrari decernit integros fructus, et quotidianas suorum respective Canonicatum, et Beneficiorum distributiones, quascumque, perinde ac si Choro, divinisque Officiis personaliter interessent, dummodo tamen eadem exercitia peragant, obtenta prius ab Ordinario licentia, a quo nullatenus concedenda erit Adventus, et Quadragesimæ tempore, ac in solemnioribus Festivitatibus, nec unquam omnibus simul Canonicis, aliisque Chori inservientibus, sed eo adhibito modo, ne Chori servitium nequaquam intermittatur, et quoad Parochos, idoneis prius Oeconomis ab ipsomet Ordinario approbandis, qui animarum curam laudabiliter administrant, Mandat insuper Sanctitas Sua, ut hæ litteræ publicentur in ista Diocesi, et in Cancellariæ registris pro perenni eorum, quæ in illis continentur, observantia adscribantur, et ad hunc ipsum finem quolibet triennio earum publicatio in posterum renovetur.

Quæ omnia ita diligenter ab Ampl. tuæ vigili providentia, ac pastorali sollicitudine præstanda fore confidit Sanctissimus Pater, ut a Sanctitate sua laudem, a cœlesti vero honorum operum Retributore condigna præmia valeat promereri; Et Ampl. tuæ copiosa divinorum Crismatum incrementa ex animo precor. Ampl. tuæ.

Dat. Romæ die 4 Februarii 1710.

Ut Frater

BANDINUS, card. panciaticus præfectus.

V. Petra Secret.

Concessio Indulgentiæ Plenariæ Fratribus Regularis Observantiæ S. Francisci, ac Reformationis Cismontanæ Familiæ Exercitiis spiritalibus per octiduum vacantibus.

ALEXANDER PAPA VII, ETC.

(3. Cum, sicut nobis nuper exponi fecit

SUMMARIUM.

1. Exhereditatio quid sit. — 2. Exhereditatio descendendum ut rite fiat, et suum sortiatur effectum, debet fieri nominatim. — 3. Si tamen unicus est filius, vel filia, non est necesse eum nomine suo nominare. — 4. Exhereditatio, ut valeat, debet fieri circa totam hereditatem. — 5. Insuper exhereditatio, ut valeat, debet fieri ex legitima causa, in testamento specificè expressa. — 6. Et si causa exheredationis in testamento expressa fuerit minus legitima, testamentum est nullum. — 7. Demum ut exhereditatio valeat, requiritur ut causa exheredationis in testamento inserta ab herede scripto legitime probetur. — 8. Ad hoc autem ut exhereditatio locum habeat in filio, licet plures sint causæ, una tantum probata sufficit. — 9. Omnes dictæ conditiones, quæ requiruntur pro valida exheredatione descendendum, requiruntur etiam pro valida exheredatione ascendendum. — 10.

dilectus Filius Michael Angelus a Sambuca Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Minister Generalis in Capitulo Generali ejusdem Ordinis novissime Toleti celebrato, inter alia decretum fuerit, ut secessus, et spiritualia mortificationis, et Orationis mentalis Exercitia in omnibus Provinciis Cismontanæ Familiæ Ordinis prædicti reassumantur, et illis Fratres earumdem Provinciarum aliquoties singulis annis vacent.

§ 1. Nos qui probe novimus quantopere conducant Exercitia hujusmodi dirigendis in viam Domini, et confirmandis in illa Christi fidelium mentibus, devotionem Fratrum memorati Ordinis, qui de suorum Superiorum licentia operi adeo pio et salutari vacaverint, cœlestium Ecclesiæ thesaurorum elargitionem magis excitare volentes, de Omnipotentis Dei misericordia, et Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis prædicti Ordinis Fratribus tam Clericis, quam Laicis, seu Conversis, qui in Dombus Regularibus Provinciarum prædictarum de suorum Superiorum licentia Exercitia prædicta per octidui spatium quoadcumque peregerint, et interea temporis vero penitentes et confessi Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, quoties id egerint, plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus in perpetuum valituris.

§ 2. Volumus autem, quod si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, eadem præsentibus nullæ sint eo ipso. Quodque eorumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici, vel Secretarii dieti Ordinis subscriptis, et sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, vel Ministri Generalis prædicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 11 Junii 1659. Pontificatus nostri anno quinto.

EXHEREDATIO.

Causæ legitimæ exheredandi descendentes sunt quatuordecim. — 11. Prima, si descendens parenti manus violentes injecerit. — 12. Secunda, si gravem ei injuriam inferat. — 13. Tertia, si eum criminaliter accusaverit, non item si civiliter. — 14. Quarta, si cum maleficis hominibus, ut maleficus versatur. — 15. Quinta, si vitæ parentis insidiatur. — 16. Sexta, si cum noverca sua, aut cum concubina Patris rem carnaliter habet. — 17. Septima, si defert contra Patrem cum gravi ejusdem præjudicio. — 18. Octava, si pro patre incluso recusat filius fidei jubere. — 19. Nona, si patrem testari impedit. — 20. Decima, si Arenariis et Mimis se associat. — 21. Undecima, si filia recusatis honestis nuptiis luxuriosam vitam ducit. — 22. Duodecima, si proles parenti in amentiam lapsa, competens non præstari obsequium. — 23. Tertiadecima, si proles parentem ab hostibus captum non redimit. — 24. Quartadecima, si proles non est Catholica. — 25.

Præter enumeratas causas, nullæ aliæ sunt, ob quas possint liberi exheredari. — 26. Si proles contra voluntatem parentum Matrimonium contrahat cum honesta persona, non potest per hoc exheredari. — 27. Immo neque potest exheredari proles, etiamsi contra voluntatem parentum Matrimonium contrahat cum persona inhonesta, et indigna. — 28. Alii tamen quoad hoc sentiunt contrarium. — 29. Secundum aliquorum Regnorum Edicta, et statuta, si filia ante 25 annos, et filius ante 30, absque consensu parentum nubit, non tantum inæquali, sed etiam turpi personæ, possunt a parentibus omnino exheredari. — 30. Causæ legitimæ, ob quas licet liberis exheredare parentes vel alios ascendentes sunt octo. — 31. Prima, si parentes ad interitum vitæ liberos suos tradiderunt. — 32. Secunda, si venenis, aut maleficis, aut alio modo parentes filiorum vitæ insidiati fuerint. — 33. Tertia, si pater nurui suæ, aut concubinae filii sui sese carnaliter ianmiscuerit. — 34. Quarta, si parentes prohibuerint filios suos testamentum condere de rebus sibi testari permissis. — 35. Quinta, si pater uxori suæ, vel hæc illi venenum præbeat, aut vitæ insidiatur. —

(1. Exhereditatio est exclusio heredis, alias necessario instituendi, ab hereditate, ob legitimam causam facta. Est in re communis. (2. Exhereditatio descendendum, ut rite fiat, et suum sortiatur effectum, debet fieri nominatim; *princ. Inst. de Exher.* l. ibi: « Parens curare debet, ut filium instituat heredem, vel exheredem eum nominatim faciat, alioquin, si eum silentio præterierit, inutiliter testabitur, » et § 5. eodem, ibi: « Omnes, sive sui, sive emancipati sint, vel heredes instituuntur, vel nominatim exheredentur. » Rota par. tom. 1. decis. 321. num. 8. (3. Si tamen unicus est filius, vel filia, non est necesse eum nomine suo vocare, sed sufficit, si Testator dicat: « Filius meus exheres esto » § 1. *Instit. eod.* (4. Exhereditatio, ut valeat, debet fieri ab omnibus bonis paternis, et circa totam hereditatem; *arg. leg. Cum quidam 10. ff. de Leg. et posthum.* et sic communis. (5. Insuper exhereditatio, ut valeat, debet fieri ex legitima causa in testamento specificè expressa. *Novell. 115. cap. 3. ibi: « Et ipsas nominatim ingratitude causas partes ne suo inseruerint testamento expressa fuerit minus legitima, testamentum est nullum; Rota p. 1. decis. 568. n. 2. tunc enim non dicitur exhereditatio, sed præteritio; Rota ibid. (7. Demum, ut exhereditatio valeat, requiritur, ut causa exheredationis Testamento inserta ab herede scripto legitime probetur; *arg. cit. Novell. 115. cap. 4. princ. ibi: « Nisi probabuntur ingrati, » etc. Et per hoc correctæ sunt Jura antiqua, vi quorum Exhereditatio incumberebat probare suam innocentiam, et non heredi scripto causam exheredationis. (8. Ad hoc autem ut exhereditatio locum habeat in filio, licet plures sint causæ, una tantum probata sufficit; Rota p. 4. tom. 3. dec. 582. n. 15. (9. Omnes dictæ conditiones, quæ requiruntur pro valida exheredatione descendendum, requiruntur etiam pro valida exheredatione ascendendum. *Novell. 22. cap. 47. et Novella 115. cap. 4.***

(10. Causæ legitimæ exheredandi descendentes sunt quatuordecim. *Novella 115.*

36. Sexta, si liberis, vel uno ex his in furore constituto, parentes eos curare neglexerint. — 57. Septima, si liberi in captivitate detenti negligantur a parentibus. — 58. Octava si parentes non sint Catholici, et filii Catholici. — 59. Omnes supra recensitæ causæ exheredandi cessant, si ante conditum testamentum parentes cum liberis, et liberi cum parentibus reconcilientur. — 40. Item cessant causæ exheredandi, si proles, vel parentes post datam exheredationis causam, Monasterium ingrediuntur, quamvis reconciliatio subsequuta non sit. — 41. Causæ ob quas exheredari potest frater in casu, quo turpis persona instituta est hæres, sunt tres. — 42. Prima, si vitæ fratris insidias mortis tentaverit. — 43. Secunda, si fratrem accusaverit in causis graviter criminalibus. — 44. Tertia, si bonis frateris tentaverit inferre jacturam. — 45. Fit etiam Exhereditatio bona mente. — 46. De qua mentio habetur in veteri Jure. — 47. Exempla afferuntur. — 48. 49. Differentia hanc inter exheredationem et eam quæ sit in poenam. — 50. 51. An in dubio exhereditatio bona mente facta censi debeat.

cap. 3. (11. Prima, si descendens parenti manus violentas injecerit; *cit. Novella 115. cap. 3. ibi: « Si quis parentibus manus intulerit. » (12. Secunda, si gravem ei injuriam inferat, *cit. Novella 115. cap. 3. ibi: « Si gravem, et inhonestam injuriam eis intulerit. » (13. Tertia, si criminaliter eum accusat, non item si civiliter, *cit. Novell. 115. cap. 3. ibi: « Si eos in criminalibus causis accusaverit, quæ non sunt adversus Principem, vel Rempubicam. » Dictum fuit non item civiliter, quia filius civiliter agens contra Patrem, eumque accusans, exheredari non potest, *arg. cit. Novell. 115. cap. 3. et ratio est clara, quia « qui jus suum persequitur, nemini facit injuriam, » lib. 144. ff. de Regul. Juris. (14. Quarta si cum maleficis versatur; *cit. Novell. 115. cap. 3. ibi: « Si cum maleficis hominibus ut maleficus conversatur. » (15. Quinta, si vitæ parentis insidiatur; *cit. Novella 115. cap. 3. ibi: « Si vitæ parentum suorum per venenum, aut alio modo insidiari tentaverit. » (16. Sexta, et Novercam suam carnaliter cognoverit; *cit. Novell. 115. cap. 3. ibi: « Si Novercam suam aut concubinae patris filius sese immiscuerit. » (17. Septima, si filius extiterit delator contra patrem cum gravi ejusdem præjudicio, *cit. Novell. 115. cap. 3. ibi: « Si delator contra parentes filius extiterit, et per suam delationem gravia eos dispendia fecerit sustinere. » (18. Octava, si pro patre incluso filius recusat fidei jubere; *cit. Novell. 115. cap. 3. ibi: « Si quemlibet ex dictis parentibus inclusum esse contigerit, et liberi, qui possunt ab intestato ad ejus successione venire, petiti ab eo ut unus ex his in sua eum fideiussione noluerit, vel pro debito, in quantum ex se, qui petitur, probatur esse idoneus; Hoc tamen, quod de fideiussione censuimus, ad masculos tantummodo liberos volumus pertinere. » (19. Nona, si patrem testari impedit; *cit. Novell. 115. c. 3. ibi: « Si quis ex liberis prohibet, vel impedit, ne parens faciat testamentum. » (20. Decima, si Arenariis et Mimis se associat; *cit. Novell. cap. 3. ibi: « Si præter voluntatem parentum inter Arenarios, vel Mimos,***********

sese filius sociaverit, et in hac professione permanserit, nisi forsitan etiam parentes ejusdem professionis fuerint. » (21. Undecima, si alicui ex dictis parentibus volenti suæ filia, vel nepti maritum dare, et dotem secundum vires suæ substantiæ pro ea præstare, illa non consenserit, sed luxuriosam vitam degere elegerit; cit. *Novell.* 115. cap. 3. § 1. (22. Duodecima, si liberi parentibus in furorem, vel dementia lapsis obsequium et curam competentem non præbuerint, a parentibus ad sanitatem redeuntibus exheredari possunt; citat. *Novell.* 115. cap. 3. § 12. (23. Tertiadecima, si liberi parentem captivitate hostis detentum non redimant, dum possunt, juste exheredantur a Patre. Immo ipso jure exheredes sunt, ipsaque hereditas pro redemptione applicanda devolvitur ad Ecclesiam, ex qua captivus oritur, casu, quo parens in tali captivitate absque testamento moriatur; cit. *Novell.* 115. cap. 3. § 13. (24. Quartadecima, si proles non sit Catholica cit. *Novell.* 115. cap. 3. § 14. Unde omnes dictæ quatuordecim causæ sufficientes pro exheredandis liberis breviter comprehenduntur in sequentibus versiculis.

Bis septem ex causis exheres filius esto :

*Si Patrem feriat, vel maledicat ei.
Carcere detrusum si negligat, aut furiosum
Criminis accuset, vel paret insidias,
Si dederit damnum grave, si nec ab hoste redemit,
Testarique vetet, se sociatque malis,
Si Mimis sequitur, vitietque cubile parentum,
Si mutet fidem, et filia sit meretrix.*

(25. Præter enumeratas causas nullæ aliæ sunt, ob quas possint liberi exheredari, textu expresso in cit. *Novell.* 115. cap. 3. princ. ibi : « Nulli liceat ex alia lege ingratitudinis causas opponere, nisi quæ in hujus Constitutionis serie continentur; » sic Molina disp. 170. Perez *de Lib. prætor.* n. 48. et alii (1). (26. Unde si proles absque parentum consensu, vel contra expressam voluntatem ipsorum, matrimonium contrahat cum honesta personâ, non potest per hoc exheredari; arg. leg. *Cum te*, Cod. *de inoffic. Testament.* cap. *Gemma, de Testam.* Concil. Tridentin. sess. 24. cap. 9. *de Reformat. Matrim.* Et ratio est, quia nulli facit inju-

(1) Sed quamvis clarus videatur allegatus textus, communior tamen Doctorum opinio ad causas similes, vel graviores extendunt, ut testantur. Corvin. in *Cod.* li. 6, tit. 28, pag. 410, princ. Zoes. ibid. quest. 3, in princip. ubi plures Doctores recensent, licet ipsi eorum opinionem non videantur sequi. Licet enim exheredatio sit pena, qua filii nocentes plectuntur, ideoque cum sit odiosa ad alios præter expressos casus non debeat extendi, nihilominus contra vel magis odiosum reputatur, patrem cogi, ut impio et indigno filio bona sua relinquat. Ita multis rationibus, argumentis, exemplis et auctoritatibus firmat Vin. *Comment.* in *Instit.* lib. 2, tit. 18, § 1, num. 2. Struv. *Exercit.* 52, th. 55. (EDIT. BARBIELL.)

(2) Hac enim pena jure plectitur filia, quæ rejecta nubendi occasione sibi a patre oblata, turpem potius vitam elegit. Cujac. *Comment.* in *Novell.* 18, de triente, et semisse edit. Venet. tom. 2, coll. 928, lit. B. Quod idem ad casum extendunt, quo servilis, aut alicujus turpis matrimonii complexibus se polluerit cum non minus ad injuriam patris spectet

riam, qui utitur jure suo, l. 145. ff. *de R. J.* sic Jul. Clar. § *Testamentum* qu. 41. n. 4. Abbas in cap. 1. *de Sponsal. Impub.* n. 5. Covarruv. *de Matrimon.* part. 2, cap. 3. § 8. n. 5. Jason. in *Authentic. Sed si post*, Cod. *de inoffic. testament.* Molina disp. 170. Haunold. tract. 6. cap. 7. num. 470. Reiffenstuel lib. 3. *Decretal.* tit. 26. num. 409. et alii. (27. Immo neque exheredari potest proles, etiamsi matrimonium contrahat cum persona inhonesta, et indigna contra voluntatem parentum; arg. cit. *Novella* 115. cap. 3. princ. ubi statuitur ob nullam aliam causam præter quatuordecim assignatas posse parentes liberis exheredare; et l. *Cum te* 18. Cod. *de Inoffic. Testam.* et cap. *Gemma, de Testament.* et sic tenent Jul. Clar. loc. cit. Covarruv. loc. cit. n. 5. et apud eum Immola in c. *Accedens, de Procurat.* Jason. in *Authentic. Sed si*, Cod. *de Inoffic. Testam.* Molina disp. 170. Haunold. tract. 6. cap. 7. num. 470. Reiffenstuel loc. cit. n. 500. ubi testatur de communi aliorum: Glossa tamen in cap. *de Raptoribus* 3. c. us. 36. q. 1. verb. *Excusata*, Alexander in l. 1 ff. *Solutum matrimonio*, (28. Paul. Parisien. vol. 3. cons. 29. Felin. in cap. *Idem, de Testam.* num. 13. ac nonnulli alii tenent in hoc casu omnino justam adesse causam exheredandi prolem contra voluntatem parentis ante annos 25 indignæ ac turpi personæ nubentem, saltem si pater alias honestas nuptias obtulit, vel eas non impedivit; arg. Auth. *Sed si post*, Cod. *de Inoffic. Testam.* ibi : « Sed si et sine consensu tuo (id est parentis) marito se, libero tamen, copulaverit, eam exheredare non potes. » Ergo inferunt a sensu contrario, si sine consensu parentis marito non libero, vel turpi personæ se copulet, exheredari potest (2). (29. Unde secundum aliquorum regnorum Edicta, et statuta, si filia ante 25 annos, et filius ante 30 annos absque consensu parentum nubit, non tantum inæquali, sed etiam turpi personæ, possunt a parentibus omnino exheredari. Sic statuta Bavaricæ tit. 49. art. 9. et sic varia edicta in Regno Gallicæ relata a Pontas in *Dictionar. Casuum Conscient.* verb. *Matrimonium* cas. 10. et laudat, cas. 17 (3).

ejusmodi matrimonium, quam turpis vita. Cujacius *Observat.* lib. 5, cap. 5. Non diversum judicium ferendum est de jure civili si filius-familias invito patre mimam, meretricem, vel aliam infamiae nota laborantem ducat in uxorem, quæ universæ familiæ labem inurat. l. 5, § *Si emancipatus ff. de Bonor. posses. contr. tab.* Cujac. *Observat.* dict. lib. 5, cap. 5. Gail. *Observat.* 95, n. 17, lib. 2. Covarruv. in tractat. *de Sponsal.* part. 2, cap. 3, § 8. Zoes. in *Cod.* lib. 6, tit. 28, in notis, lit. C. (EDIT. BARBIELL.)

(3) Sed hujusmodi statuta exheredationem permittentia contra nubentes invito patre videntur matrimonii libertatem restringere, ideoque Sacros Canones ledere, ac evertere, ac propterea non attendenda. Hinc edicta superius enunciata in Galliarum Regno, non exheredationem permittunt, sed parentibus tribuunt facultatem privandi filios hereditate usque ad legitimam, cujus edicti verba per extensum refert. Zoes. l. citat. in not. lit. D. ibique citat Hotomann. in fin. questionum. illustr. cap. 2, § 6, et seq. Cum enim Matrimonia ad Forum Eccle-

(30. Causæ legitimæ ob quas licet liberis exheredare parentes, vel alios ascendentes, sunt octo; cit. *Novell.* 115. cap. 4. (31. Prima, si parentes ad interitum vitæ liberos suos tradiderunt. (32. Secunda, si venenis, aut maleficiis, aut alio modo parentes filiorum vitæ insidiati fuerint. (33. Tertia, si pater, nurui suæ, aut concubinæ filii sui sese carnaliter immiscuerit. (34. Quarta, si parentes prohibuerint filios suos Testamentum condere de rebus sibi testari permissis. (35. Quinta, si pater uxori suæ, vel hæc illi venenum præbeat, aut vitæ insidiatur, filius enim propter hoc flagitium potest parentem reum exheredare. (36. Sexta, si liberis, vel uno ex his in furore constituto, parentes eos curare neglexerint. (37. Septima, si liberi in captivitate detenti negligantur a parentibus. (38. Octava, si parentes non sunt Catholici, et filii Catholici. Sic cit. *Novell.* 115, cap. 4. Unde omnes dictæ octo causæ comprehenduntur breviter in sequentibus versibus.

*Si pater accusat capitalis criminis, aut se
Adjungat nurui, vitæque est insidiatus,
Testari prohibet quatum, matrique venenum
Præparet, inclusum in carcere, vel furiosum
Negligat, et veram contemnat Religionem.*

(39. Omnes tamen supra recensitæ causæ exheredandi cessant, si ante conditum Testamentum parentes cum liberis, et liberi cum parentibus reconciliantur. Sic communis cum Julio Claro § *Testamentum* qu. 41, num. 9. Rota part. 1, decis. 29, num. 1. (40. Item cessant causæ exheredationis, si proles, vel parentes post datam exheredationis causam, Monasterium ingredientur, quamvis reconciliatio subsequuta non sit. Covarr. *de Testam.* cap. 16, num. 28. Abbas vol. 2, cons. 7. Felin. in cap. *Rodolphus, de Rescript.* Reiffenstuel. loc. cit. n. 505. Glossa in l. *Deo nobis*, Cod. *de Episcop. et Cleric.* arg. cap. « Non liceat parentibus liberis, vel liberis parentes ab hereditate repellere Monachos factos, quamvis dum laici fuerint, in causam ingratitudinis inciderint. »

(41. Causæ, ob quas exheredari potest Frater in casu, quo turpis persona instituta est heres, sunt tres; *Novella* 22, cap. 47. (42. Prima, si vitæ fratris insidias mortis tentaverit; citat. *Novella* 22, cap. 47, ibi : « Illum solum tamquam ingratum circa Fratrem effectum participari hoc lucrum non concedimus, qui mortem voluit Fratris. » (43. Secunda, si Fratrem accusaverit in causis graviter criminalibus; cit. *Novell.* 22, cap. 46, ibi : « Aut criminalem inducere contra eum subscriptionem. » (44. Tertia, si bonis Fratris tentaverit inferre jacturam; cit. *Novella* 22, cap. 47, ibi : « Aut substantiæ ejus præparavit inferre jacturam, ejus enim portio tam ad reliquos Fratres, quam

siasticum pertineant, non satis recte ipsis legem ponunt Constitutiones Laicales Covar. in *Decret.* lib. 4, part. 2, cap. 3, § 8, n. 5, quamvis juxta aliquos respectus etiam a Laicali jurisdictione in non-

matrem veniat, » et istæ causæ brevius comprehenduntur sequentibus versibus.

*Tres licet ob causas ingratum pellere Fratrem,
Si Fratri insidias, perniciemque ferat,
Si scelera affingat, ferro, focoque pianda,
Aut si fraternas perdere tentet opes.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(45. Exheredatio ut plurimum fit notæ causa, et in pœnam liberorum. Sed et fieri exheredatio potest bona mente. De hac agendum.

(46. Ejus habetur mentio in l. 17, ff. *de Liber. et Postum. instituend.*, etc. ibi : « Multi non notæ causa exheredant filios, nec ut eis obsint, sed ut eis consulant, (ut puta impuberibus) eisque fideicommissam hereditatem dant : » tum in l. 12, § 2, ff. *de Bon. Liberor.* ibi : « Si quis non mala mente Parentis exheredatus sit, sed alia ex causa, exheredatio ipsi non nocet, ut puta pœne furoris causa exheredatum eum, vel ideo, quia impubes erat, heredemque institutum rogatum ei restituere hereditatem; » Conferitidem l. 45, ff. eod. l. 17, § 2, ff. *de Curat. Furios.* l. 25. C. *de Inoffic. Testam.*

(47. Exempla exheredationis bona mente sunt. I. Si pater habet filium prodigum, et ex eo Nepotes, potest heredes instituere Nepotes, et exheredare filium, eique quod sufficeret alimentorum nomine a Nepotibus certum legare, « addita causa necessitateque judicii sui, » ut dicitur in l. 16, § 2, ff. *de Curat. Furios.* scilicet quod eum exheredavit non notæ causa, et in pœnam, sed in ipsius favorem ad conservanda bona, ne ea dissipet. (48. II. Si Pater ingentes divitias relinquat, insidias vero timeat vitæ parvuli filii ab Agnatis bonis illius insidiantibus, valet alium instituere heredem, eumque fidei commisso gravare de restituenda hereditate filio, si in suam tutelam perveniat. Vide et alia plura exempla apud Stryk in *Us. Modern. Pandect.* lib. 28, tit. 2, § 9.

(49. Forma præscripta a *Novella* 115. de qua disserit Auctor, non pertinet ad exheredationem hanc, quæ fit bona mente, sed restringenda est ad exheredationem tantum, quæ fit notæ causa in pœnam; Carpov. *Jurisprud. Forens.* part. 3, const. 9, defn. 11, Rieter. decis. 41, n. 16, et sequent.

Plura autem hinc sequuntur. I. Exheredatio quæ bona mente fit, ad certum tempus fit, quod alias fieri nequit. II. Valet exheredatio bona mente sine expressione causæ. III. Posthumi bona mente exheredari queunt, non item notæ causa, et in pœnam, cum nulla causa in Nov. 115, determinata cadere in eos possit. IV. Contra exheredationem notæ causa et in pœnam factam consulitur filiis quærela inofficiosi testamenti, sed hæc locum sibi haud vindicat in exheredatione bona mente facta.

nullis dependeant saltem quatenus inter contractus adnumerantur, consule Reinking. *de Regim. Eccles.* claus. 1, cap. 10, n. 20, 21, et seq. Schneidov. *de divitiis.* n. 6. (EDIT. BARBIELL.)

(55. V. Ex jure Novellæ 115. Pater filio impuberi notæ causa et in pœnam exheredato, pupillariter substituere nequit, prout olim poterat. At potest pupillariter substituere filio impuberi bona mente exheredato. Vide et alias differentias apud Stryk. in *Usu modern. Pandect.* lib. 28, tit. 1, § 10.

(50. Reliquum est, ut discutiatur, an in dubio exhereditatio bona mente facta censeri debeat? Varias de hac quæstione sententias congesserunt Menoch. de *Præsumpt.* lib. 4, præsumpt. 18, Mascard. de *Probat.* conclus. 714. Linck. dissert. de *Exheredat. bona mente facta* § 31. (31. Porro si illud præsumi debet, quod communiter fit, in dubio

EXORCISTATUS.

Exorcistatus conferendus est subdiacono, diacono, et presbytero Græco, qui ritu latino ad diaconatum, presbyteratum, aut episcopatum sint promovendi. Benedictus XIV, constit. incip. Et si pastoralis § 7, *Alia vide verb. Ordo art. 1, a num. 34 ad 56.*

EXORCIZARE, EXORCISTA.

SUMMARIUM.

1. Exorcizare sumitur in duplici sensu, et assignatur uterque sensus. — 2. Hic non est sermo de Exorcismo capto primo sensu, sed solum in secundo. — 3. Traditur definitio Exorcismi capti in secundo sensu. — 4. Exorcismi Cæremonia, quæ fit in baptismo, ubi expresse imperetur. — 5. Et ubi de hac antiqua Cæremonia fiat specialis mentio. — 6. Exorcizari adhuc debet infans, quamvis ratione periculi jam fuerit baptizatus. — 7. Exorcistæ munus quid sit. — 8. Ad licite exorcizandum tria requiruntur, quæ assignantur. — 9. Nemo potest exorcizare sine licentia Ordinarii, etiamsi sit Regularis. — 10. Affertur ad hoc Littera Encyclica directa Ordinariis. — 11. Exorcistæ, si tale exorci-

(4. Exorcizare sumitur in duplici sensu. Primo ad significandum exorcismum, seu benedictionem aquæ, et salis, quæ fit in missa Parochiali, seu Conventuali. Secundo ad exprimendam obstestationem, qua utitur Ecclesia ad expellendum Dæmonem, ejusque potentiam, ut fit in Cæremoniis, quæ baptismum antecedunt, et pro obsessis, aut possessis a Dæmone. (2. De exorcismo in primo sensu sumpto hic non est sermo; sed solum de Exorcismo sumpto in secundo sensu. (3. Et exorcismus sumptus in hoc secundo sensu definitur, quod sit divini Numinis obstestatio ad effugandum, seu expellendum Dæmonem, ejusque virtutem, seu potentiam. Est in re communis. (4. Exorcismi Cæremonia, quæ fit in baptismo, imperatur expresse in cap. *Sive* 53, dist. 4, de *Consecratione*, ibi: « Sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniant Sacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quam Exorcismis, et exsufflationibus Clericorum Spiritus ab eis immundus abjiciatur. » (5. Et hujus antiquæ Cæremonia fit mentio in c. *Sicut* 62, dist. 4, de *Consecratione*, ibi: « Sicut nostis, Fratres carissimi, et parvuli exsufflantur, et exorcizantur, ut pellatur Diaboli potestas inimica, quæ decepit hominem, ut homines possideret. » Et in cap. *De hinc* 66, ead. dist. 4, de *Consecrat.* « Exorcizatur

(4) Plura de exheredatione vide infra de *testamenti nullitate, novissimum additamentum* (EDIT. BARBIELL.)

non bona mente, sed notæ causa in pœnam exhereditatio facta præsumi debet. Quæ enim bona mente fit exhereditatio, ea a regula recedit, irregularis est, et ad casus exceptos referenda, ac proinde qui in ea se fundat, ostendere debet bona mente a Patre ipsam factam esse; Confer Linck. dict. dissert. de *Exhered. bon. ment. fact.* dict. § 31, in fin.

Nota vero, quod hæc præsumptio generalis est, et sic elidi facile potest per specialiores circumstantias, quales sunt illæ notatæ in adductis exemplis, et aliis allegatis a Stryk ubi supra (1).

zandi munus exerceant circulis, et aliis modis insolitis, mittuntur in exilium. — 12. Ad exorcizandam Monialem Ordinarius non concedit licentiam ingrediendi Clausuram. — 13. Neque Sacra Congregatio illam concedere solet. — 14. Et si concedatur, intelligitur tantum pro benedicendis cellis de infectione suspectis. — 15. Exorcizatio Monialis a quo, et quomodo, et in quo loco sit faciendâ, demonstratur. ad num. 16. — 17. Signa præcipua Energumenorum, seu a Dæmone obsessorum referuntur. — 18. ad 19. Exorcismi in S. libris Ecclesiæ non relatis non debent admitti. — 20. Exorcistatus conferendus est Græcis, qui ritu Latino ad ordines sint promovendi. — 21. ad 26. De Exorcistatu in primitiva Ecclesia.

Diabolus, ut suam nequitiam agnoscens, et justum super se judicium timens recedat ab homine, nec jam contendat eum arte sua subvertere, ne baptismum consequatur;» et in cap. *Sacerdotes* 67, ead. dist. 4, de *Consecrat.* laudatur antiqua Ecclesiæ traditio imponendi manus super credentes ad Dæmonia ab eis ejicienda, ibi: « Sacerdotes cum per Exorcismi gratiam manum credentibus imponunt, et habitare malignos spiritus in eorum mentes contradicunt, quid aliud faciunt, nisi quod Dæmonia ejiciunt? »

(6. Exorcizari adhuc debet infans, quamvis ratione periculi jam fuerit baptizatus. Sic expresse statuit Rituale Romanum, et sic expresse statuerunt varia Concilia Provincialia, et signanter Concilium Rhemense anno 1583. Burdigalense anno 1684. Aquense anno 1585. et alia plurima. Et ratio est, quia ut inquit S. Thom. 3. p. q. 71. art. 3. in *corpore*, non solum Dæmon conatur impedire ne infans baptismi effectum accipiat, sed etiam ne de illo accepto deinceps fructum percipiat. Ibi: « Tunc cessante periculo debent suppleri (Cæremonia omnes) ut servetur uniformitas in baptismo, nec frustra supplerentur post baptismum, quia sicut impeditur effectus baptismi, antequam percipiatur, ita potest impediri postquam fuerit perceptus;» et sententiam istam affert Ri-

chardus in 4. dist. 6. art. ult. q. 1. quem laudat, et sequitur Angelus de Clavasio verb. *Exorcismus* num. 2. « Quid, ait hic auctor, si aliquis baptizetur sine exorcismo? » Respondet Richardus, quod debet post baptismum exorcizari... quia licet baptizato parvulo, peccatum non sit; tamen in eo remanet actualiter fomes peccati, et ideo etiam post baptismum habet efficaciam reprimendi Diabolum (1). »

(7. Exorcistæ munus est manus imponere supra vexatos a spiritibus immundis, ad illos adjurandos, et ejiciendos; item ad exorcizandos Catechumenos. Sic communis. (8. Ad licite exercendum tria requiruntur. Primo ut fiat Exorcizatio ex causa gravi, non ex levitate, non ad sciscitanda a Dæmone quæsitâ curiosa, sed ad liberandos Energumenos a Tyrannide Dæmonis. Sic docet S. Thomas 2. 2. quæst. 90. art. 2. Secundo requiritur, ut adjuratio Dæmonis fiat absque precibus, sed cum imperio, et objurgatione, sic enim superbia Dæmonis magis confunditur. Tertio requiritur, ut Exorcizatio solemniter fiat ab habente potestatem, quæ non omnibus conceditur, sed tantum aliquibus, secundum prudentiam Episcoporum, habentibus ordinem Ecclesiasticum Exorcistatus: (9. Unde nemo potest exorcizare sine facultate Ordinarii, etiamsi sit Regularis, ut decrevit Sacra Congreg. Episcop. et Regul. in Florentina 22 Februarii 1625. et expresse statuit Sac. Congr. S. Officii die 5 Julii 1710, per litteram Encyclicam directam omnibus Archiepiscopis, aliisque Ordinariis Italiæ, et Insularum adjacentium, tenoris ut sequitur.

(10. *Lettera Circolare della Sag. Congreg. del S. Officio: circa l'obbligo, e la qualità de' Sacerdoti da ammettersi all'esercizio dell'Esorcista.*

« Essendo stati rappresentati alla Santità di Nostro Signore i gravi disordini, che seguono dalla molteplicità delli Esorcismi, che quasi universalmente s'inventano, e si praticano dalle persone destinate ad exorcizare, e volendo la medesima colla sua Pastorale sollecitudine dare a tali inconvenienti il necessario provvedimento, uditi prima li pareri di questi miei Eminentissimi. Colleghi Signori Cardinali, Generali, Inquisitori, ha stabilito, che per mezzo di questa Sag. Congreg. s'ordini a tutti gli Arcivescovi, Vescovi, ed altri Ordinarij d'Italia, e dell'Isule adjacenti, siccome colla presente s'ordina a V. S. che in avvenire non permetta, che alcun Sacerdote tanto Secolare, quanto Regolare, sia ammesso all'esercizio di Esorcista, senza che prima le costi della di lui pietà, integrità di vita, e prudenza, e senza che abbia tutte le qualità ricercate per tale amministrazione dal Rituale Romano.

« Vuole in oltre sua Beatitudine, che Ella

(1) Quod hic rectissime Auctor statuit, supplendos esse exorcismos, si forte periculi causa baptizatus quis fuisset, sacris cæremoniis omissis; integra dissertatione Du Guetus ostendit. Prima ea est trium,

insista con tutta la sua attenzione, e vigilanza, acciocchè le persone, che da lei saranno stimate capaci di tal ministero, si vagliano della direzione del sopradetto Rituale Romano, e che non preteriscan le regole, che in quello si prescrivono. Tanto V. S. dovrà eseguire perubbidire esattamente alli Santi, e supremi Ordini di sua Beatitudine, e Dio la prosperi. »

« Roma 5 Luglio 1710.

« Di V. S.

« Come Fratello

« G. CARD. MARESCOTTI. »

(11. Exorcistæ si tale exorcizandi munus exerceant circulis, et aliis modis insolitis, mittuntur in exilium; Sac. Congreg. Episc. et Regul. in una Venetiarum 27 Octobr. 1603. (12. Ad exorcizandam Monialem Ordinarius non concedit licentiam ingrediendi in Clausuram; Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in Regiensi 15 Maii 1601. et in Cremon. 1 Octobr. 1610. (13. Neque Sac. Congreg. illam concedere solet; ead. Sac. Congreg. in una Vicent. 14 Maii 1606. et in una Montis Regalis 10 Januarii 1617. (14. Et si concedatur, intelligitur tantum pro benedicendis Cellis de infectione susceptis; ead. Sac. Congreg. in Imolens. 23 Februar. 1594. (15. Unde eadem Sac. Congreg. 1 Julii 1609. pro Monialibus exorcizandis decrevit ut infra: « Nulla monialis Energumena intra Monasterii Septa a quocumque Presbytero Seculari, vel Regulari etiam Confessario exorcizetur, sed ad Ecclesiam exteriorem ejusdem Monasterii, obtenta prius a Sacra Congregat. licentia, ea de causa deducatur, vel transferatur. In translatione autem hujusmodi, sicuti in actu exorcizationis, honestæ personæ consanguineæ, vel aliæ mulieres pro vectæ ætatis, ac probatæ conversationis Energumenam comitentur. Exorcista sit ad actum hujusmodi approbatus; Exorcizatio minori, quo fieri potest, fiat strepitu; Ecclesiæ janua eousque occlusa remanet, quousque Exorcizatione completa ad Monasterium Energumena reducatur; Cæterum tam in reditu quam in accessu ad Ecclesiam, et Monasterium respective, et sine diverticulo tendatur. » (16. Et alias consimiliter decrevit, ut infra. « Adhibitis debitis diligentibus ad cognoscendum, an Monialis sit revera vexata, datur licentia Sacerdoti Sæculari, vel Regulari moribus, et ætate gravi, eam exorcizandi in Ecclesia exteriori intra terminum trium, vel ad summum sex mensium coram Confessario, et duabus, vel tribus feminis consanguineis, et januis clausis; modo expleto exorcismo statim reducatur in Clausuram. Si vero Spiritus, ut plurimum, erunt ficti, carceres, flagella, jejunia, compedes, et similia erunt ejusmodi Energumenarum Exorcismi; » Sac. Congreg. Episcop. et

quæ Parisiis an. 1727, prodierunt, dissertationum inscriptarum: *Dissertations Théologiques et dogmatiques.* (EDIT. BARBIELL.)